





Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia
Christi, Helmst: 1740

Vrsaffij / Christoph: Matth: / Diss.
de Coelo Beatorum, Tubinge
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de
Symbolo Apostolico, Jene
1589

Diss. de Deo ac tribus
personis, Jene 1589.

DISPUTATIO THEOLOGICA

AD

ARTICVLOS
SMALCALDICOS

QVAM

JVVANTE DEO

IN ACADEMIA JULIA

MODERANTE

JONA CONR. SCHRAMMIO

THEOL. D. ET PROF. ORD.

TVEBITVR

JOANN. HENRICVS SCHVMACHER

ASSELENA-PADERBORNENSIS

D. XVI. JVNII MDCCXXXVI.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.



EXPOSITIO THEOLOGICA

ART. QUINTUS

DE SACRAMENTIS

IN VERTUTE DEO

IN NOMINE PATRIS

JOHANNES GORR. GORR. AMMIO

PROFESSOR THEOLOGICUS

LEIPZIG

JOHANN. HENRICH. SCHUMACHER

LIBRARIUS

ANNO MDCCCLXXXII

HERMANN

EX LIBRIS HAVII. DITTMER. SCHULZII



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
CAROLO
DVCI BRVNSVICENSIVM AC
LVNAEBVRGENSIVM
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO



C*Vi confidentius considerem? Cui concussa communi, concordique certamine, celeberrimique Collegii concessu, compendia consecrarem? Cui commercium causarum, cursui classico, conversoque clienti conforme, committerem? Convenit certè Celsissimo Clementissimoquè CAROLO cum cæteris cuncta communicare; cujus Clementiam contendenti clienti certam, credo: curas conversum continuo concomitatas, calamitatumque catastam corruere, cruciatuum combinatam, cumulatamque copiam cedere, cerno, commutati Candidati commiseratione commoto Clementissimo CAROLO; cum contrito corde corruptam cæcæ contagionis catastrophen confugerim. Curque conscientiam clariore cognitione convictam corroboratamvè compressissem? cur cognitis contentam clausissem? Conspirantem calumniatorum catervam compuli, contumescer-*

mescentium confluum conculcavi, con-
troversam confundendo cohortem; con-
tristari cessavi, consecutâ Clementissimi
Celsissimique CAROLI consolatione: certæ
CAROLI Clementissimi clementiæ confi-
dens, conscientia consului. Consenta-
neum consulenti confidentique consen-
sum condonari curabis, Clementissime
CAROLE, crescetque congruus Clementiæ
Celsitudinique cultus: coelesti consortio
consociabere. Conferri causato. Clementis-
sime CAROLE, cætera, cultori, cooptatoque
clienti congrua. Centuplum clementia
communicata censum consequetur, ca-
pietque. Cuncta, Clementissime CAROLE,
cœli clementiâ condite, conversus cliens
Celsissimæ Clementiæ, cunctorum com-
poti, consecro, comministro, committo,
communico. Curque calamum commi-
nistrando consecrandoque continerem,
cum CAROLVM Clementissimum, con-
stet, cœlique cupidos, conscientia convi-
dos

*Etos, concupiscenti corde cupere, convi-
ctu captos conficere, cibo carentibus
cultoribus convictorium concedere. Cer-
tè CAROLVM cinget cælum, compensa-
bitque CAROLO, cælestis cætus confor-
tio, cuncta clienti conuerso concessa, con-
cedendavè; capefcet celeberrimam cæli
coronam, clementia celebrabitur, certan-
te cæli choro. Colet CAROLVM cælestis
cantando cohors, confortabit CAROLVM
contra cerberum. Concinnè conscendes
celsa coruscantis clivi culmina, Clemen-
tissime CAROLE, comitante charitum
concurfu. Cuncta corde contendens cupit,
compositoque concertationis consecratæ
compendio, celsissimæ Clementiæ confun-
dato, commendat confidens*

Helmstadii d. XVI. Jun.
MDCCXXXVI.

Cliens

JO. HENRICVS SCHVMACHER

Affelena-Westphalus,
Phil. Mag. & S. Theol. Cultor.



PROLEGOMENA.

§. I.



Articuli Smalcaldici Nomen habent ab urbe Thuringiæ, *Smalcaldia*, in quâ conscripti sunt, quoniam ibi tunc congregati erant Legati Protestantium, Religionis tuendæ causâ. Ut ab *Augustâ Vindelicorum*, *Confessio Augustana*. In Authentico aliâs vocantur: *Articel Christi-cher Lehre* / so da hätten sollen auffß Concilium zu Mantua / oder wo es sonst gehalten worden wäre / überantwortet werden / von unsers theils wegen / und was wir annehmen oder nachgeben könten / oder nicht. A. autem 1543. & 1559. separatim hoc titulo prodierunt: *Die Haupt-Articel des Christl. Glaubens* / wieder den Pabst und der Höllen-Pforten zu erhalten. Doctrinam ergo Nostratum sistunt, non Personam, ut Ludovicus à s. CAROLO, Biblioth. Pontific. ed. Lugd. 1643. L. II. f. 455. de Appendice eorum, cujus autor Melanchthon: *Articulus*, inquit, *Al-Smalcaldus, Germanus, Lutheranus*, *edit de Primatu & Potestate Papæ librum*. Specimen hoc peritiæ istius literariæ, cujus in hoc libro præcipuum præbet argumentum, magis adhuc mirandum, quàm cum

A

pro

pro *Hunnio*, *Hundium*, pro *Polano*, *Polonum* posuit. Vel ut alius *morbum pestilentem*, pro *Lutherano*, ap. STEPHAN. Apolog. P. 2. L. I. c. ult.

§. II. *Autor* eorum fuit ipse LV THERVS, isque solus, cum Aug. Confessione plures manum attulissent. Docet hoc non solum Stylus, sed & Titulus & Præfatio, ubi nomen addidit. Appendicem autem, de Primatu Papæ, fecit MELANCHTHON. Omnia scilicet *Lingua Germanica*, ut BRENTIVS fatetur, sub finem Tr. de Primatu Papæ. Articulos ipsos in Lat. sermonem vertit Petr. GERNERANVS, Witt. 1541. Appendicem alius. Quæ tamen versio variat. Nos Authenticum exemplar Germanicum in Corp. Doctr. Julio retinemus. *Subscripserunt* XLIII. Theologi, & Appendici de Prim. Papæ, XXXIII. seu Protestantium nomine in eadem urbe congregati, seu ideò postulati. Non æquè, ut ipsi Principes Augustanæ Confessioni. Nam id libertati Ducis Würtembergici reliquerunt BRENTIVS & Theologi Würtembergici, int Bedencken / ob und welcher Gestalt man sich des Concilii zu Trient annehmen solle / Consil. II. BIDEMBACH. Dec. VII. c. II. So nun die obbemeldte zwey Wort von den Theologis und Jurisconsultis vollendet / stehet es zu E. F. Gn. gnädigen Bedencken / in was form / und welcher gestalt es durch die Gesandten dahin zu bringen sey / nemlich ob die Articul von den Theologis zusammen getragen E. F. Gn. in ihren Nahmen / oder im Nahmen E. F. Gn. Predicanten im Lande / als auff E. F. Gn. Befehl / zu solcher Verzeichniß erfordert / dem Concilio fürzutragen / gnädiglich bedencken würde. *Annus*, quo conscripti sunt hi Articuli, fuit 1537. Sequenti verò 1538. typis excusi. *Subscripti* quoque A. 1537. d. 24. februar. & Foedus Smalcaldicum simul stabilitum; quanquam Principes ibi congregati,

gati, quos recenset SLEIDANVS f. m. 183. a. b. in personâ apparere coràm Legato Cæsareo, negaverint, prout REHTMEIER, ad Ann. 1537. conf. D. KAHLER, ad Art. Smalc. Diff. I.

§. III. *Causas* horum Articulorum conscribendorum enarrat LVTHERVVS seorsim, in *Prefatione*. Fuit enim (1) Concilium, à PAVLO III. A. 1535. per Legatum, VERGERIVM, Episcopum Justinopolitanum, Mantuæ promissum, ut & ipse titulus Lutheri præfert. Quod cum jam Ann. 1526. promitteretur, causas cur id visitare tunc non potuerint Protestantes, suggerit SLEIDANVS f. 19. (2) Nunc Bullâ peculiari X. Cal. Jun. i. e. festo Pentecostes, indictum. (3) Severissimis Imperatoris mandatis approbatum. (4) A Pontifice ipso omnibus viribus declinatum. Vid. etiam Eugend v. S. Joh. Chrysofomo, T. VI. LVTH. Germ. Jen. f. 534. sq. M. Michaëlis CELII, Superint. Mansfeld. qui & Articulis his ipse subscripsit, Consilium, A. 1537. scriptum: Was des Papssts außgeschriben Concilium zu Mantua haben zu bedencfen und zu thun sey? Quod extat in Consiliis BIDE MBACHII, Dec. X. Conf. I. In quo multa ad hanc rem notatu digna, v. g. de Personis, in hoc Concilio apparituris, vel dicturis sententiam, de Materiâ tractandâ, de Loco, an tutus satis, de Citatione ad hoc, & Pontificum Mandatis, & de Aug. Conf. ejusque Apologiæ Repetitione necessariâ. Plura ad hanc rem SEKKENDORFFIVS, SARPIVS, aliique, ad Hist. Conc. Tridentini. Adeò ut hoc statu considerato citius sibi videretur moriturus esse Lutherus, quàm Concilium subiret, utut summa ejus celebrandi, totiesque ab omnibus expetiti, videretur necessitas. Inde ergò (6) opus saltem erat, Articulos hos, conjunctos cum Appendice Melanchthonis de Primatu Papæ, consignare, & (7) perversæ Scriptorum LVTHERI, & sic Aug.

quoque Confessionis Interpretationi, tam ab Adversariis, quam à falsis fratribus susceptæ, & fortè adhuc post mortem ejus suscipiendæ, occurrere. De quâ conf. Præf. ad Corp. Doctr. Jul. & Part. I. Spec. f. 2. Aug. verò Confessionem, in Conventu Smalcaldico ideò quoque repetitam, **HOSPINIANS** ad A. 1537. p. 156. Lutherus necessitatem scribendi hos Articulos allegabat, & probabat sententiam **GERSONIS**, de *Laude Scriptorum*, P. I. Opp. Alph. I. Hinc (8) sinistri de Protestantibus rumores apud exteros, imprimis Gallia Regem, de quo infrà Part. II. Art. IV. §. I. quasi nulla apud eos Ecclesia, nullus esset Magistratus. Juxtà **BALDVIN**. Disp. I. ad Art. Smalc. §. 17. *quod rixosi & sibi solis sapientes, qui nemini cedere, nihil addiscere vellent; vel ut SVRIVS*, Comm. Rer. Gest. p. m. 386. tanquam *fratres Cadmæi* semper inter se pugnarent. (9) Germaniæ Status confusus, tam in rebus Sacris, quam in Civilibus. Quare (10) Nostrates pro instituendo rectiùs Concilio instabant, ut & fecerant in Præfatione Conf. Augustanæ; & post quoque, cum Concilium Tridentinum A. 1548. ad evitandum Mandatum Imperatoris Interimisticum, à Protestantibus certis sub conditionibus visitandum esse, decernerent. De quo in Consil. **BIDEMBACHII**, Decad. X. Consil. V. *Bedencken des Tridentischen Concilii halb/ ob/ und wie das von den unsern/ so man heutiges tages die Protestierenden nennet/ zu besuchen/ Herrn Michael Celii/ Superintendentens der Graffschafft Mansfeld*. Vid. etiam §. sequ. ideò oblatam Conf. Saxoniam. Et add. Dec. VII. Consil. I. II. III. ubi consentit **BRENTIVS**, & Theologi **WÜRTEMBERGICI**. Et (11) Principes Fœderati, sæpè multùmque ab A. 1531. congregati, horumque Legati, Theologos iterùm iterùmque ideò consulebant, donec ad Articulos memoratos consensum

sum darent, ex quibus asserta Lutheranorum adversus Pontificios paterent, & Aug. Confessionis æquè ut Apologia accuratissima constaret editio, & Examen utriusque ac Subscriptio repeteretur. BALDVIN. l. c. Disp. I. §. 13. Quod perperam ad mutationem trahunt Ambros. PSEUDO-WOLFFIVS, & similes. Ut paulò ante ad Nr. (7) notatum.

§. IV. *Recepti* igitur statim à Lutheranis isti Articuli, cum ut Concilio, si quod esset, exhiberentur, tum ut imposterum Libris ipsorum Symbolicis annumerarentur. Quibus etiam accesserunt in Corporibus, quæ prodierunt, Doctrinæ Lutheranæ, v. gr. in Corp. Doctr. Prutenico, A. 1567. Julio, A. 1569. & 1576. Thuringico, A. 1571. Luneburgico, A. 1576. Brunsvicensi, A. 1563. ac tandem etiam Formulæ Concordiæ A. 1580. In Corpore verò Philippico, A. 1560. & quod hoc sequitur, Pomeranico, A. 1561. ut & in Libris Norimbergicis A. 1573. loco eorum ponitur *Repetitio August. Confessionis, scripta Anno 1551. ut exhiberetur Synodo Tridentinæ*: atque edita primum nomine *Confessionis Ecclesiarum Saxonicarum*. At major fuit LVTHERI autoritas A. 1537. cum scriberet Articulos Smalcaldicos, quàm fuit PHILIPPI A. 1551. cum scriberet Confessionem Saxonicam. Vnde quoque hæc sæpius ab aliis impugnata, cum quod novam Confessionem contineret, quâ post Augustanam, & Smalcaldicam, Concilio exhibendam, haud opus esset, tum quod nonnulla ex illis dissimularet. Vid. SALIG. Hist. A. Conf. P. I. L. III. c. VI. §. III. sqq. Interim, quod non dissidia quidem *in Ecclesiis nostris accendere, sed plenius, quàm in Aug. Confessione, enarrare quedam, diceretur, suo pretio stetit, & à pluribus Ecclesiis approbata fuit*. Nec tamen unquam libris nostris Symbolicis accensita, ut nec *Confessio Wurtembergica*, à

BRENTIO, A. 1552. eodem fine conscripta atque excusa. De qua itidem SALIG. l. c. §. X. sqq. Reformati quoque, ut tum temporis in hos Articulos haud consenserunt, ita nec hodie admittunt, imprimis, cum sub initium Art. VI. statuatur, *manducare Impios verum Corpus & Sanguinem Domini*. Quem quidem Articulum HOSPINIANS Hist. Sacram. A. 1537. p. 156. sq. sese æquo animo recipere posse prodit. Sed fucum facit. Quicquid sit, hos non moramur, qui nec ab initio Aug. Confessionem huiusque Apologiam absque conditionibus & interpretatione propriâ receperunt. Qui in utramque illam hodie æquiores, Articulos simul Smalcaldicos conferre, & probare non dubitabunt.

§. V. Extant ideò Articuli Smalcaldici cum Appendice T. VI. *Operum Lutheri* Germ. Jen. f. 544. seqq. iidem, qui in libris Symbolicis, cum nominibus omnium quotquot eosdem obfignârunt, A. 1559. excusi. Et *dividuntur* juxta BALDVINVM Disp. I. §. 19. in tres partes, quarum (I) contrâ virulentiam adversariorum directâ, (II) Articulos cum Pontificiis præcipue controversos, & (III) parùm à Papicolis curatos, refert. Habetur apud eundem l. c. hoc illorum *Elogium*, quod *præ ceteris omnibus constantem & succinctam Lutheranæ doctrinæ confessionem contineant, à tot Ecclesiis Ecclesiarumque doctoribus subscriptione comprobata*. Item, *dilucidè, perspicuè, piè, & orthodoxè & suam & nostrarum Ecclesiarum Confessionem edidisse Lutherum*; siquidem teste Andrea MASIO, Pontificio, apud eund. in Dedic. ad Philippum Julium, Pomeraniæ Ducem, *in unâ paginâ scriptorum Lutheri plus est Theologiæ, quàm in multis voluminibus Patrum*. Quibus & respondent verba ERASMI in Præf. D. MAJI ad Theologiam Lutheri. *Differunt tamen ab Aug. Confessione Artic. Smalcaldici, (I) quod unus atque alterius Articuli, de quibus ab exhibitâ Aug. Con-*

Con-

Confessione controversiæ extiterunt, dilucidationem contineant. (2) Quod non tam solennes ac publici sint, ut A. C. Articuli, qui non tam jussu Principum scripti, ut in Concilio sub disputationem vocarentur, quam in Comitibus Augustanis coram Imperatore Romano & Principibus prælecti, eique exhibiti, & ab his ipsis subscripti.

§. VI. *Exposuerunt* hos è Nostratibus, vel qui *in genere* ad libros Symbolicos cum CARPZOVIO, A. 1688. SANDENIO, A. 1719. MAJO, Giesl. & Francof. 1696. & 1720. HOFFMANNO, Tubing. 1727. WALCHIO, Jen. 1732. vel *in specie* BALDVINVS, in *Disp. XXII.* editis Witt. 1605. Post verò, DEVTSCHMANNVS, in *Repetitione Methodicâ* Articulorum præcipuorum Smalcaldicorum, Witt. 1663. SAVBERTUS unà cum A. Conf. Apol. & Cat. Lutheri in *Synopsin* redegerat, quam in lucem Disputationis invicem produxit D. MAYERUS, Kilon. 1701. hinc iterum Gryphisw. 1709. cum Præfat. quâ præcipuè laudat BALDVINUM. Denique in Academiâ Rhinthelensi, D. KAHLERUS Art. Smalc. XVII. *Disputationib.* proposuit A. 1710. 4. De quibus A. Er. 1710. p. 408. Et paulò ante Sam. SCHELGUIGIUS, in *Exercitationib.* in Art. Smalc. Gedani 1709. *Summam* quoque quorundam, quam historiæ suppeditant, recenset SEKKENDORF. Hist. Lutheranism. L. 3. §. 56. P. 154.

PART. I.

DE

ARTICVLIS MAJESTATIS DIVINÆ.

§. I.

Quatuor Articulis hæc pars constat, quarum (1) de SS. Trinitate, nempe quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus

ctus in Unâ Essentiâ & Naturâ Divinâ tres distinctas constituentur Personas, Unusque ille Deus sint, qui cœlum & Terram creavit. Unde patet, Creationem esse Opus ad Extrâ, omnibusque Trinitatis Personis commune, Patri verò tantùm tribui per Appropriationem. Art. (II) *Origō Personarum*, eaque non in tempore, sed ab Æterno, indicatur. Art. (III) *Incarnatio Filii Dei*, exclusis Personis reliquis, & Art. (IV) *Opus Redemptionis*, juxtâ Symb. Apost. Art. II. & Symb. Athan. atque Catech. Puerorum, de quâ deinceps.

§. II. Denique additur, *nullam* de his esse *litem* inter nos & adversarios, prout etiam dicitur in Aug. Conf. & ejus Apologiâ, sub initium. Ideoque IV. hi Articuli hîc solum præmittuntur, ut ostenderetur, pro more, Ecclesiæ veteris cum Lutheranis *Consensus*, circa præcipua Religionis Christianæ Mysteria, & calumniæ abstergerentur, de quibus in Prolegom. §. II. quasi isti peiores sint Ethnicis, Judæis, Turcis, aut Arianis. Invaluerant enim simul post Reformationem, atque hac abusi fuerant, Sociniani & Fanatici, ejusdem furfuris cum Arianis.

PART. II.

DE

ARTICVLIS OFFICIUM CHRISTI
CONCERNENTIBVS.

ART. I.

DE CHRISTO.

§. I.

Hic Articulus, qui in ipsâ Inscriptione *primus* ac *fundamentalis* vocatur, (hier ist der erste Haupt-
Artis

ART. II. DE MISS.

Articulus /) exhibet (I) *Contenta*, (II) *Momentum*. *Contenta* sunt, (1) quod Jesus Christus pro nobis satisfecerit, Rom. IV. 25. Joh. I. 29. Ef. LIII. 60. (2) Quod omnes peccatores simus, & sine merito per gratiam & Redemtionem Christi iustificemur, Rom. III. 28. (3) Quod nullo alio actu, quàm Fide, hæc Justificatio impetretur.

§. II. *Momentum* in eo consistit, (1) quod nihil inde concedi possit adversariis, (von diesen Artikel kan man nichts weichen / oder nachgeben / es falle denn Himmel und Erden / oder was nicht bleiben will /) Act. IV. 12. Ef. LIII. 5. (2) Quod sit totius doctrinæ contrà Papam, Diabolum, & Mundum, *Fundamentum*. (3) Quod sine ejus certitudine omnia illi contrà nos obtineant. In Aug. Conf. & Apol. hic locus constituit Artic. III. nec æquè cum Pontificiis ad litem vocatur, quàm sequens de Justificatione, quo *Fundamentum* hoc impugnatum fuerat.

ART. II.

DE MISSA.

§. I.

Hic iterùm (1) notetur *Momentum*, (2) *Modus convincendi* adversarios *Moderatiores*, (3) *Immoderatis Idololatriam* exprobrandi. Quò refertur (4) *Appendix, de Invocatione Sanctorum*. *Momentum* (I) ex eo apparet, quod *Missa*, de quâ in A. Conf. & Apol. Abus. III. & in Brev. Decl. Art. XI. (1) in Papatu abominandæ cujusdam *Idololatriæ*, utut speciocissimæ, semper fuerit causa, utut vergeret directè contrà Articulum *Fundamentalem præcedentem*. Ideoque (2) propter Articulum illum præcedentem, in hoc nihil magis concedere licebit.

B

§. II.

§. II. *Moderatiores* (II) amicè convinci possunt, (1) si ostendatur, esse Traditionem Humanam, quæ omitti possit, è Matth. XV. 9. (2) Inde minus esse necessariam. (3) Sacramenti usum dari longè meliorem, juxtà Institutionem Christi. Quod si prædicetur, & libertas cuique relinquatur, tam à plebe, quàm à prudentioribus facile Missa omittetur, imprimis, si tantum ei subesse periculum, audient. (4) Si vel maximè utilis in se esset Missa, tamen propter Abusum, in Nundinatione commissum, saltem contemni deberet. Et (5) contra Articulum Fundamentalem de Justificatione est, si Sacerdos Missificus, etiam nebulo, suo opere mereri putet & sibi & aliis Remissionem Peccatorum, quod soli Christo debetur. Et si quis (6) objiciat Communionem Propriam ac Solitariam, ob propriam devotionem, fucum tamen facit, & hypocrisin arguit, si vel sibi, vel aliis extrà Ecclesiam nullo necessitatis casu adactus, Eucharistiam præbeat. Quo pacto hoc intelligendum sit, vid. in Princ. Th. Revel. c. XVIII. §. IV. Not. (7) de Comm. Propr.

§. III. Contrà *Immoderatos*, (II) & Papatui inde malè ominantes, quales præcipuè in Concilio fore, timebatur. Eratque imprimis, qui hîc nominatur, Card. CAMPEGIVS, qui quidem inter moderatos numerari voluit, quando in Conventu Augustano. *Pontificis nomine operam se daturum, promisit, ut eandem fidem profiterentur omnes, ut SLEIDAN. Hist. ad Ann. 1530. f. 107.* Sed qualis fuerit, indicat illud, quod in Conventu Norimbergensi, *multò gravius diceret esse peccatum, si Sacerdotes fiant mariti, quàm si plurimas domi meretrices alant,* apud eund. SLEIDAN. ad A. 1524. f. 62. Unde gravis in eum invectiva in Apol. A. Conf. Art. XII. non longè à fine. Et hoc quoque loco illud exagitur insigne moderationis exemplum, quod in

in eodem Conventu Augustano potius dilaniationem membrorum sustinere, ausus sit, quàm dimittere Missam. Itaque contra hunc & similes eodem fervore agendum esse, dicitur, *faciendumque prius, ut in cineres corpus redigatur, quàm ut ventrem Missarium Christo Servatori equiparet.* Quia Missa instar *Caudæ Draconis* peperit varias Idololatrias, ut sunt (α) *Purgatorium*, Diaboli larva, pro quo frustrà citatur *AVGVSTINVS*, utpote de Purgatorio anceps admodum, nihilque certi definiens, quin utut esse posse, alibi credat, tamen idem negans cap. I. Serm. de Temp. 232. *Nemo se decipiat, fratres, duo enim loca sunt, & tertius non est ullus.* Nec juvat citare è Lib. IX. Confess. c. 2. mentionem matris, circa Sacramentum ideò faciendam. Nam sepositis primùm & abrogatis Venditionum instrumentis, videndum est, quod *AVGVSTINVS* *Memoriam rectè peractam* non damnet, ut nos quoque non damnamus, quodque hanc aliis ut Articulum Fidei obtrudi noluerit. Vid. D. Georg. CALIXTI Disput. de Purgatorio, à Fil. Fr. Ulr. Helmst. recusa 1650. LAURENTII Fabul. Papistic. Infern. Amst. 1632. Add. D. MÜLLER. Præp. Magd. Tr. von *Memorien-Rechte*. (ε) *Fictitia Apparitio Animarum*, Missas quærentium. (γ) *Peregrinationes*, (δ) *Fraternitates*, Opera sua Bona vendentes. (ε) *Reliquiæ Sanctorum*. (ζ) *Indulgentiæ*, quibus Meritum Christi, juxtà cum Meritis Sanctorum & Ecclesiæ, si quæ sunt, à Papa venditur, ut quondam Christus à Juda proditore.

§. IV. Additur ad hunc Articulum (IV) *Appendix*; *de Invocatione Sanctorum*, de quâ est Art. XXI. August. Conf. & ostenditur, quomodò hæc quoque inter Abusus Antichristianos, quos Missa peperit, de quibus §. præced. sit referenda. Neque enim aut in Scripturis demandata, aut Exemplo firmata, sed longè satius est, Christum invo-

care. Utut verò in Coelis Christi exemplo pro nobis orent & Angeli, & Sancti, qui & in terris intercedunt pro se invicem, non tamen sequitur, Angelos & Sanctos religiosè colendos esse. Dantur aliæ viæ honorum & gratiarum actionis.

ART. III.

DE

COLLEGIIS CANONICORVM ET
COENOBIIIS.

§. I.

In hoc Articulo breviter ostenditur, (I) fuisse olim Collegia *Canonicorum* & *Cænobia edocendis* ejusmodi personis utriusque sexus destinata, qui aliquando Ecclesiæ, Reique publicæ, vel familiari inservirent. (II) Si huc nihil conferant, melius esse, ut destruantur, quàm ut *Cultui* ejusmodi ansam dent, qui adversetur Redemptioni Christi, & *peccatum*, à Prophetis appellatur. Quo pacto hæc intelligenda sint, explicatur in Aug. Conf. ejusque Apologiâ Abus. VI. & infr. Part. III. Art. XIV. de Votis, Add. LASSENI Tr. Germ. de Stat. Canonicor. Reformato-Lutheranor. rec. Jen. 1733.

ART. IV.

DE PAPATV.

§. I.

Monstratur hîc, (I) Papam *non esse Jure Divino Caput Ecclesiæ*, sed tantùm Episcopum vel Parochum Romanum, & qui hodie eum non nisi sub nomine Sanctissimi & Beatissimi fratris compellare audeat, Fratrem potius & Collegam dicere oportere, juxtâ Concilia veterum & CYPRIANVM. Hic enim Ep. IV. ad Clerum Romanum, de Dormitione Episcopi Urbici: *Cum de excessu bo-*

ni

ni viri, Collegæ mei, rumor apud nos incertus esset, fratres carissimi. Ad quæ verba non abs re PAMELIUS in Notis: Non est, quod offendat quempiam, quod Papam Romanum Cyprianus suum Collegam vocet, cum hic, tum infra sæpius, in Epistolis ad Cornelium Lucium ac Stephanum, Pontifices Romanos. Imprimis enim utebantur veteres illi Episcopi eo dicendi genere, quod esset magis comitatis, lenitatis, benevolentia, quam profanae dominationis. Ita quoque Epist. XLI. ad Cornelium Pontificem: Cyprianus Cornelio Fratri salutem! Venerunt ad nos, Frater carissime, missi à Novatiano. Et ad Lucium Papam Rom. Ep. LVIII. Cyprianus cum Collegis Lucio Fratri Salutem! Et nuper quidem tibi, Frater carissime, gratulati sumus. Ita quoque Guil. BELAIVS, Gallia Regis ad Conventum Smalcaldicum Legatus, apud SLEIDAN. ad A. 1535. f. 50. b. In plerisque dicebat Regem esse non alienum à libro Philippi, quo Locos ille tractat Communes Theologicos. De Pontifice verò placere dicebat, Regi, non esse primum nec præcipuum Jure Divino, sed Humano, sicut Philippus affirmet: sed Angliæ Regem utrumque negare. Et sanè Pontificem arrogare sibi nimiam Potestatem, dum Reges atque Cæsares in ordinem pro suo arbitrio redigit, quod quidem exemplum nunc etiam in Britannia Regem statuere, cogitet.

§. II. Quæ ergo (II) ex hac præsumtâ Potestate suscipit Papa, Diabolica esse, & in perniciem Ecclesiæ Christianæ cedere, si Regimen Civile excipias, quod & tyranni interdum cum fructu quodam exercere possunt. Monstrare hoc Bullas, Papaliaque scripta, in quibus omnem iram, instar Leonis rugientis, evomit, Ecclesiamque prosequitur, ut de eo Angelus Apoc. XII. 12. 13. conf. I. Petr. V. 8. Quasi nemo absque obedientiâ in eum salvari possit, utut in Christum credat; etiamsi ultra 500. annos

Ecclesia Christi absque Papa fuerit, & Græca, aliæque adhuc sint, & absque tali capite esse possint, rectiusque fuissent. Locus hic B. LUTHERI multos torquet, sed sine necessitate. Verba sunt: Da stehen alle seine Bullen und Bücher / darinnen er brüllet wie ein Lew / als der Engel Apoc XII. bildet / daß kein Christ könne selig werden / er sey denn ihm gehorsam. Sed facile patet imaginem ex Apoc. I. c. Leonis verò aliunde, nempe è loco Petrino sumsisse. Ut solent Scriptores Sacri etiam conjungere inter se plura Scripturæ loca, unumque saltem nominare, v. gr. Marc. I. 2. ex Es. XL. 3. Mal. III. 1. nominato tantum Esaiâ; Math. XXVII. 9. è Jer XVIII. & XIX. & Zach. XI. II. 12. nominato Jeremiâ; Act. I. 19. 20. è Jer. XVIII. & Ps. CIX. 8. LXVIII. 26. nominatis Psalmis. Neque adèò ob memoriæ lapsum accusandi sunt. Conf. NEUMANN. de Autorit. Libb. Symb. p. 9. II. D. SONTAG. Depuls. VI. Paroramat. Aug. Conf. Apol. & Art. Smalc. imputatorum, Alt. 1696. §. XIV.

§. III. Quod si tamen (III) vel maximè ponamus, non de *Jure* Divino, sed *Humano*, (quod in subscriptione urgebat, in gratiam Gallix Regis, sed in Appendice declarabat MELANCHTHON,) & propter *bonum ordinem Papam* recipi, ut *Caput*, & pro arbitrio, ut in Concilio Constantiensi, deponi posse, quod quidem sine everfione totius regiminis sui haud unquam committeret, Ecclesiæ tamen nihil prodesset, sed Sectas potius pareret longè plures, nunc Romæ, nunc alibi tale sibi caput eligentes, & inde iterum pro lubitu deficientes.

§. IV. Non ergo melius (IV) servabitur Ecclesia Christiana, quàm sub *Uno Capite Christo*, *ministris* inter se in officio *æqualibus*, utut inæqualibus sæpè ratione donorum; teste HIERONYMO, de Sacertodibus Alexandrinis,

nis, Class. VII. Epist. Nr. 101. *Ut Diaconi eligunt de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Et exemplo suo testantibus Apostolis. Prodiit idè in Galliâ *Traité de la Puissance Ecclesiastique e Temporelle*, A 1707. 2. a 3. pl. Ubi agit Autor de Libertate Ecclesiæ Gallicanæ hac in re tuendâ, & præcipuè de IV. istis per orbem Christianum famosissimis Propositionibus, quæ in Declaratione Cleri Gallicani, A. 1682. extant. Nempè 1) quod S. Petrus & successores vicarii Jesu Christi, & quod ipsa tota Ecclesia non nisi in res spirituales, & quæ salutem concernunt, potestatem à Deo acceperit, minime autem in res temporales & Civiles. 2) Quod ex duobus Decretis Concilii Constantiensis Sess. IV. & V. contentis, Concilium Universale legitimo modo congregatum repræsentet universam Ecclesiam, quodque Pontifex æquè ac alii huic auctoritati sit subjectus. 3) Quod Potestas Papæ non sit cum Summo Imperio, & sine limitibus, sed quod ejus usus ex Constitutione Canonum Conciliorum universalium sit describendus, & quod Leges & Consuetudines, antiquitus in Ecclesiâ Gallicanâ receptæ, in illâ debeant observari, quodque Pontifex nihil illis derogare possit. 4) Quod in Quæstionibus Fidei & in Decretis, omnes Ecclesias, & quamcumque Ecclesiam singulatim concernentibus, sententiæ sive Judicia Pontificum non sint (irreformables) emendatione majora, si consensus Ecclesiæ non interveniat. Eodem ferè tempore ferebatur, deliberatum fuisse in Galliâ à præcipuis Juris Canonici Doctoribus, Regis mandato, quo pacto sine Schismate ibi constitui posset Patriarcha, qui Dispensationes in Abdicationibus, causisque Matrimonialibus, Beneficiis Sacris, & similibus rebus, ad Papam alioqui pertinentibus, ferre posset,

posset. Sed rumor hic eodem eventu, quo Abdicatio Pontificis M. CLEMENTIS XI. vel somnium illud, de admiffâ à Pontifice Evangelii Prædicatione, comprobatus fuit, negotiumque in herbâ suppressum. Neque id tamen impedivit, quin de Constitutione Unigenitus non solùm, sed & imprimis de Introductione Directorii, seu *Legenda* GREGORII VII. ibidem A. 1729. à BENEDICTO XIII. tentatâ, accerrimè disputatum, eademque *Legenda* sub gravissimis poenis, ne publicaretur, per totam Galliam, & alia loca plura, prohibita sit. Prout in Historiâ Const. Unigen. Disputationib. ad eam A. 1731. præmissâ, plenius docuimus. Anno quoque 1705. d. 5. Sept. POLONI quidam in Comitibus publicè allegârunt, ideo à Pontifice defecisse, eique obedientiam denegâsse Regnum *Sueciae*, & plura alia, non sine justitiæ causâ, quod rebus alienis se tam diu immiscuisset. Præterea nec *Gallos* nec *Venetos* ei ideò parere, seque cogi, horum sequi exemplum. Confundere enim *Libertatem Polonorum* cum *rebus Fidei*, interdicens Episcopis, ne adsint Conventui, aut Regem novum coronent; adeoque haberi potius pro Pharaone aliquo, quàm pro Vicario Christi. Hi omnes idem agnovere cum LUTHERO. Add. SZEGEDINI Speculum Pontificum c. 2. p. II. de Primatu Papæ affectato.

§. V. Hinc ergò (V) evinci poterit, juxta libros nostros Symbolicos *Papam*, qua talem, esse *Antichristum* illum, de quo II. Thesl. II. 1. seqq. & doctrinam ejus, sicubi optima esse videtur, ex Imperatorum Juribus, Ethnicorumque desumptam esse. Præter hanc verò, cum nil nisi fraudes spiret ac cædes, non magis quam Diabolum pro Domino haberi posse. Hypotbesis hæc de Antichristo Romano non nova est, utut eam majores in Aug. Confessione præterierant. Quare hæc obiectio diluitur in der

Noth

Nothwendigen Verthädigung des Augapfels / Nr. VI. tit. Ob dem Religions-Frieden nicht zuwieder sey / wann der Pabst von den Evangelischen für den Antichrist gescholten und gehalten wird / da doch in der A. Confession solches nicht beschiehet? Et ex antiquorum testimoniis probatam dedit SZEGEDINUS, l. c. c. 5. p. 27. è quibus GREGORIUS in Registro L. 4. c. 82. *Eum esse Antichristi præcursores, qui pateretur, se appellari Universalem & Summum Pontificem.*

§. VI. Additur denique (VI) de his Quatuor Articulis Part. II. ne quæ quidem concessuros esse nostrates in Concilio, quod tamen eum præcipuè in finem placebat Pontifici, ut suam stabiliret autoritatem. Nostri ideò hoc loco eò liberius mentem suam exponunt, quod hoc caput metuerent, maximè impugnatum iri. Et B. LUTHERUS paulò ante discessum, voto hoc salutavit Conventum Smalcaldium: *Deus vos impleat odio Papæ:* de quo Disp. D. MAYER. Kil. 1699. De his nihil antea disertè in A. Conf. & Apol. sed solum Abus. VII. de Potestate Episcoporum. Jam igitur de eo agendum erat hoc loco, & in Appendice. Nec enim *nunc cum Magistratu civili æquè, ut in Comitibus Augustanis, sed cum Papæ & Diabolo ipso altercandum erat, ne pedes ejus nostri oscularentur.*

PART. III.

DE

ARTICVLIS, CVM PRVDENTIORIBVS
ADVERSARIIS AVT MUTVO
PERTRACTANDIS.

ART. I.

DE PECCATO.

§. I.

CONTINET hæc Pars III. Articulos XV. è præcedentibus quidem deductos, nec tamen æquè manifestos, sed

C

Theo-

Theologis communicandos. Horum (1) de *Peccato* est, de quo P. (1) *Didascalica*, (α) notandus est *Ortus*. Scilicet ab uno *Adamo*, Rom. V. 12. *Von Adam/ den einigen Menschen*. Factâ à potiori denominatione, ob comparationem cum Christo, ibid. v. 18. 19. (ε) *Subiectum*, quod sunt omnes homines. (γ) *Effectus*, qui est Mortis & Diaboli Potestas, Operaque Mala contra Decalogum. Nempè hoc est, quod in A. Conf. Art. II. statuitur, & in Apol. defenditur. (4) *Modus probandi*, non ex Ratione, utpote quam fugit, sed ex *sola Scripturâ*, instituendus. Maximè quod Peccatum Originis concernit. *Die keine Ver- nunfft kenneet/ sondern muß aus der Schrift Offenbah- rung geglaubt werden*. Pf. LI. 8. Rom. V. 29. Ex. XXXIII. 14. Gen. III. 19.

§. II. Part. II. *Elenctica*, (1) *Errores Scholasticorum* VII. recensentur, qui huc redeunt, quod Naturâ Hominis integra, & hinc Libero Arbitrio prædita, ad Spiritualia, & imprimis ad Gratiâ Dei iterum demerendam, per Observationem omnium Præceptorum ejus, apta; ad quam etiam sufficiat, Sacramento uti, sine bono proposito, dummodò hoc malum non fit. Dicere solemus, ex *Opere Operato*. Denique nec in Scripturis fundatum esse, ad Opera Bona opus esse Gratiâ Spiritus Sancti. (2) Hæc & similia Ethnicorum *Doctrinam continere*, Christique Meritum oppugnare, indicatur. Unde dissimulanda non sunt.

ART. II. DE LEGE.

§. I.

Legem quidem, de quâ præcipuè ad Art. III. A. Conf. de Justificatione, disserit Autor Apologiae, (1) datam esse,

esse, dicitur, ut *Peccata prohiberet*, Pœnis suis ac Promissionibus additis. Sed quoniam hinc suâ culpâ homines vel inimici facti sunt Legis, atque hinc Impii effrenes, vel & securi ac Hypocritæ, præcipuum Legis Officium (2) est, *manifestare Peccatum Originis*, cum omnibus fructibus suis, totumque Naturæ Lapsus in Homine, unde incipit obmurmurare Deo. Quod est illud peccati augmentum, quod suâ culpâ intrâ se sentit homo, & de quo Rom. IV. 15. (*vit. typogr. in Corp. Doctr. Jul. Rom. 3.*) & V. 20.

ART. III.
DE POENITENTIA.

§. I.

Hic Articulus de *Pœnitentiâ*, de quâ in A. Conf. Art. XII. in Duas Partes dividitur, (I) *Dogmatica* est, de verâ Pœnitentiâ, (II) *Elenctica*, de Pœnitentiâ falsâ Papistarum. In Part. (I) notemus, (1) *Pœnitentiam veram* pro officio suo retinere Nov. Testamentum, Rom. I. II. III. 20. Joh. XVI. 9. (2) Peragi hoc officium (α) Lege præcedente, quæ ideò Impios pariter ac Hypocritas, tanquam securis & malleus, Jer. XXXIII. 29. percutit, ut his verè conterantur, non Contritione *Activâ*, vel provocatâ, (*gemachte Reue*) sed *Passivâ*; (*leiden und fühlen des Todes.*) Ne quisquam pro justo se habeat. Deinde etiam (ε) per Promissionem Evangelicam, ut ipse Christus Marc. I. 15. & Johannes Baptista ibid. v. 4. Iterumquæ ille Luc. XXIV. 47. (3) Pœnitentiam inde evincimus, sine Evangelio ducere ad Desperationem & Mortem, exemplo Saulis ac Judæ, I. Sam. XXVIII. 7. XXXI. 4. Matth. XXVII. 5. Paulique testimonio Rom. VII. 10. Evangelium autem (4) non unâ ratione Remissionem Peccatorum

inferre, sed partim per Verbum, partim per Sacramenta, ut sit copiosa apud Deum redemptio, Psalm. CXXX. 8.

§. II. Hic ergo Part. (II.) juxta ipsam Inscriptionem, de *Pœnitentiâ Papistarum* dicitur, Imperfectam hos Pœnitentiam hætenus inculcasse, qui 1) vires hominis Naturales integras statuunt. Adeoque ipsum Peccata Actualia, siquidem Concupiscentia Peccatum non sit, luere debere, quæ omittere potuisset per Naturam. (2) Qui sine Christo ac Fide, Pœnitentiam ponunt in *Contritione*, *Confessione*, ac *Satisfactione*. (3) Qui non rectè satis, de *Confessione*, citato BERNHARDO; sed malè. Vid. ille Serm. X. super Cantic. & Serm. XVI. (4) Qui specialem omnium *Peccatorum Enumerationem*, eamque Meritoriam docuerunt. Hic fraudum & idololatriæ nullus finis. (5) Qui *Satisfactionem Propriam* v. g. in quinque Orationibus Dominicis repetitis, (in sumff *Pater noster*,) unoque die Jejunii &c. similibusque rebus inutilibus, & quod restabat, in Purgatorio sustinendo, posuerunt; ubi septem annis juxtà Canones Ecclesiasticos pro uno luendo peccato Mortali destinatis, quod tamen veteres de foro Ecclesiæ intelligebant, nec sine restrictione, vix centum anni luentibus sufficiebant. Et sic pœnitentes semper in dubio reliquerunt, nùm perfectè absterfissent. (6) Qui *Indulgentias* à Pontifice singulares, vel temporarias, v. gr. in Jubilæis, peti jusserunt. De quo ad h. l. de *veris & fictis Christianorum Jubilæis*, Progr. Pentecost. 1717. (7) Qui aliis de suis Bonis Operibus quicquam dare, præsumserunt. Eumque in finem *Monachorum Thesaurum* excogitarunt, violenter Sanctorum: utut etiam dormiendo peccantium, quod fatentur HIERONYMVS & AVGVSTINVS. Vid. hunc L. XII. de Gen. ad Liter. c. XV. Contrà quæ (8) Johannes Marc. I. 13. & Paulus Rom. III. II. Act. XVII. 30. ipse-

ipseque *Christus*, cum nemo juxtà Legem ad Patrem veniat, propter corruptionem carnis, Joh. VI. 63. 65. Rom. VII. 18. 19. secus ac *Pontifex* ejusque *Ministri*, Pœnitentiam usque ad finem vitæ omnibus injungunt. Et (9) contrà Sacramentarios, qui statuerunt, Fidem cum Peccato Mortali stare posse, contrà I. Joh. III. 4. & Exemplum Davidis Adulteri, Homicidæ, & Blasphemi, II. Sam. XII. 8. 14.

ART. IV.

DE EVANGELIO.

§. I.

EVangelium de quo Art. III. A. Conf. de Justificatione, & alibi passim, contrà Peccatum suo fungitur officio Quatuor modis. Nempè (1) per Verbum prædicatum; (2) per Baptismum; (3) per Sacramentum Altaris; (4) per Potestatem Clavium. Quò pertinet mutuum Colloquium, & Consolatio Fratrum Matth. XVIII. 20. *ubi duo fuerint &c.* Non prætermittâ Catechesi.

ART. V.

DE BAPTISMO.

§. I.

CUM (1) dicitur *Baptismus* de quo A. C. Art. IX. *Verbum Dei in Aquâ*, hoc est, simul cum Baptismi institutione demandatum, vel secundum Paulum, Eph. V. 26. *Lavacrum Aquæ in Verbo*, vel secundum AUGUSTINUM, Elementum cum Verbo, utpote qui sic T. IX. Tr. 80. in Joh. qui locus in *Ex. Lat.* adjicitur: *Accedit Verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.* Et post: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribuere-*

bueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. (Eph. l. c.) Rejicitur unà THOMÆ sententia, & Monachorum, Ordinis Prædicatorum, qui verbo neglecto, Aquæ vim Dei spiritualement, peccata abluendi, adscribunt. Scilicet, ut allegatur in *Ex. Lat. Summ. Th. P. III. Qv. 62. art. 4.* *Nihil prohibet, in corpore esse virtutem spiritualement instrumentalement, sicut in voce sensibili est quedam vis spiritualis, ad excitandum intellectum hominis.* Unde in Catech. Lutheri: *Wasser thuts freylich nicht.* Item SCOTVS, & Franciscani, qui hoc è Voluntate Dei, absque verbo, deducunt. Indeque Inæqualitatem Effectus in baptizatis eliciunt. Vid. SCOTVS in L. IV. Dist. IV. Qv. *Utrum omnes baptizati recipiant æqualiter effectum Baptismi?* Porro (ll) injungitur PÆDOPAPTISMVS, cum Infantes etiam per Christum redempti sint.

ART. VI.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

§. I.

DOcetur hîc (1) Panem & Vinum in Eucharistiâ *verum Corpus & Sanguinem Domini* esse, atque non solum à bonis, sed & à malis accipi. (ll) Non esse sub *Unâ specie* communicandum, quicquid Sophistæ in Concilio Constantiensi objiciant, tantundem esse sub Unâ, quàm sub Utrâque specie. Hoc enim posito, tamen repugnet Institutioni Christi. Ideoque Anathemate damnamus, (*sonderlich verdammen und verfluchen wir in Gottes Namen /*) eos, qui non tantum Communionem sub Utrâque omittunt, sed & tanquam Hæresin damnant, seque statuunt super Christum. (3) De *Transsubstantiatione* dicitur, nihil curari Sophisticationem docentium, quasi Panis & Vinum

Vinum speciem & colorem solùm retineant, non naturam vel substantiam. Nam cum Scripturis optimè quadrat, Panem manere, monente Paulo I. Cor. X. 16. XI. 26. Frustra igitur Glossam suam ad hunc Articulum addit HOSPINIANVS, in Historiâ Sacramentar. Part. II. Ann. 1537. t. 136. *Verba illius Articuli nihil contrà nos, sed potius pro nobis, & contrà Ubiquetistas faciunt, ideoque illa libenter approbamus & recipimus. Non enim negamus, Cœnam esse Sacramentum Altaris. Non negamus, Panem & Vinum esse Corpus & Sanguinem Christi. Ipse enim Christus Filius Dei dixit: Accipite, edite, hoc est Corpus meum. Non negamus etiam, porrigi & accipi. Non negamus, accipi à bonis: ipse enim Christus dedit & porrexit bonis Apostolis suis. Non negamus, accipi à malis. Dominus enim autor Sacramenti sui Judæ proditori suo, (ut Augustinus & alii volunt,) Panem tanquam Corpus suum porrexit & dedit, & porrectum atque datum Judas accepit. Ubi autem in his Smalcaldicis Articulis fuit concessa Transsubstantiatio, ut in primâ Confessione Augustanâ? At ubi in Augustanâ illâ Confessione Transsubstantiatio, quæ hîc damnatur? An Lutherum in Articulis Smalcaldicis destruere putes, quod in Aug. Confessione probavit? Imò verissimum est, quod narratur ab Aug. Conf. collectoribus, fol. 315. utut vellicet HOSPINIANVS: Theologos Electorum Principumque mandato obsecutos, ne minimum quidem tam in verbis, quàm sententiâ totius Confessionis & Apologiæ, quod mutandum emendandumve esset in Articulis Smalcaldicis, deprehendisse. Quod subscriptiones ad Artic. Smalcaldicos testantur. In Aug. Conf. Art. X. dicitur: *Das wahrer Leib und Blut Christi warhafftiglich unter Gestalt des Brodts und Weins im Abendmal gegenwärtig sey/ und da ausgetheilet und genommen wird.* In Apologiâ hæc explicantur. *Das unsers**

unfers HErrn Christi Leib und Blut warhafftiglich im
Nachtmal Christi zugegen / und mit den sichtbaren Din-
gen / Brodt und Wein / dargereicht und genommen wird.
In Art. Smalc. h. l. Daß Brodt und Wein im Abendmal
sey der warhafftige Leib und Blut Christi. Rectius ita-
que fecisset HOSPINIANUS, si simplici fide, quæ scribit, ac
verè credidisset, à Transsubstantiatione verò mentem no-
biscum abstraxisset, quàm ut temerè hanc nostratibus
affingeret.

ART. VII.

DE CLAVIBVS.

§. I.

Claves (1) denotant *Officium & Potestatem, Ecclesie* à Chri-
sto datam, ligandi & solvendi peccata, non solum e-
normia & manifesta, sed & subtilia & abscondita, juxta
Psalm XIX. 15. Rom. VII. 25. Vid. A. Conf. Abus. VII. it.
Art. V. & VIII. Nam (2) *Dei solius* esse dicitur, peccata
judicare & dijudicare, ut est in Psalm CXLIII. 2. & I. Cor.
IV. 4. Hic Articulus maximè discussus est ante annos
triginta, quod docet Bedencken über die Frage: Wie weit
ein Prediger gegen seinen Landes-Herrn / welcher zugleich
Summus Episcopus mit ist / sich des Binde-Schlüssels be-
dienen könne? & Examen hujus, in den Unsch-Nachrichten/
1706. p. 402. seqq. Prolixius Seb. EZARDI p. p. Vertheidi-
gung der Christlichen Lehre vom Binde-Schlüssel / wieder
das Unchristliche Bedencken D. Christiani THOMASII &c. A.
C. 1707. Quibus addatur: Einiger / der Geist- und Weltli-
chen Rechts-Gelehrten ertheilte Antwort / auf die Frage:
(1) Ob die von einer gewissen Stadt-Obrigkeit gemachte
Verordnung / daß keiner ihrer Priester / bey Verlust sei-
nes Dienstes sich unterstehen solle / sein Beicht-Kind ohne
vorher

vorher gehende dessen Geistl. Consistorii Erkändtniß und Befehl / vom Gebrauch des heil. Abendmahls auszuschließen / oder vom Beichtstuhl abzuweisen / der heil. Schrift zu wieder sey / &c. (2) Ob einem Priester gezieme / seine Dignität / (so das Jus Episcopatus hat /) gemachte Kirchen-Ordnungen auf der Kanzel zu taxiren / &c. (3) Da er sich dessen unterstanden / und daran Unrecht gethan hätte / wie er deswegen zubestraffen? Ann. 1706. 8^v. Nec limites hinc prohibet LUTHERUS, nec eosdem transgredi in potestate clavium vel ministris concedit, vel magistratui. *Fi-ant omnia ad ædificationem*, I. Cor. XIV. 26. Vid. ideò verba CARPZOVII, ad Art. IX.

ART. VII.
DE CONFessione.

§. I.

HOc Articulo indicatur (1) *Necessitas Confessionis & Absolutionis Privatae*, imprimis propter populum instituendum, & quia provenit à Potestate Clavium. Vid. supr. A. Conf. Abus. IV. (2) *Libertas* in recensendis peccatis. (3) *Necessitas verbi Externi* contra Enthusiastas & Papatum. (4) *Vanitas prædicationum Enthusiasticarum* sine Scripturâ, ex ipsorum hypothesi. Cur enim nec in alios venit Spiritus sine prædicatione ipsorum, ut in ipsos? (5) *Efficacia Verbi Externi*, etiam ante Baptismum, v. gr. in Conventu Cæsareensi, Act. X. 44. 48 & Cornelio, Profelyto, ibid. (6) *Enthusiasmus*, ut est Effectus veteris Adami & Draconis, Gen. III. 1. omniumque Hæresium, & Mahumedanismi Origo. (7) *Verbi Externi*, cum scripti tum ore traditi, Hebr. I. I. in Prophetis *Exempla*, v. g. Apparitio Dei, in Rubo ardente, & Colloquio, Mosi primum facta,

D

Elias

Elias vero & Elisæus, per Decalogum seu Legem, quæ tum temporis loco verbi Externi erat, Spiritum à Deo accepisse, Johannes verbo Gabrielis conceptus, & auditâ voce Mariæ saluisse, dicuntur. Unde constat, Prophetas omninò scivisse, & pro fundamento ubique posuisse Scripturam Sacram; utut hæc notitia in his, singulari modo revelata, ut in Amos c. VII. 14. seqq. Constat quoque vanitas Canonis Interni, quem definiunt Fanatici, sine Externo. *Wie der Müntzer thut/ und noch viel thun heutiges Tages/ die zwischen den Geist und Buchstaben scharfse Richter seyn wollen.* Temerè verò Calvini assecla, BORICHIUS, apud CARPZOVIVM, Isag. ad h. l. dicam scripsit Articulis Smalcaldicis, quod Paulus Gal. III. 2. non per Legem, sed per Verbum Fidei Spiritum S. dari, testetur. Nam, ut CARPZOVIVS, *sciri debet, Spiritum S. non uno modo dari. Aliquando datur ad terrorem, siquidem & Contritio effectus Spiritus S. est, quam per Legem operatur: aliquando ad Prophetiam: aliquando verò ad sanctificationem. Pro diversitate igitur horum effectuum verbum adest, quo mediante Spiritus S. testatur.* Addimus, Legem esse partem Scripturæ Sacræ, per quam Spiritus S. operatur, & locum Paulinum citatum non de Evangelio accipiendum esse, prout hoc Legi opponitur, sed prout Legem complectitur.

ART. IX.

DE EXCOMMVNICATIONE.

§. I.

EXcommunicationem, quæ hîc *Germ.* dicitur *der Bann*/ ad Potestatem Ecclesiasticam spectare, non obscure indicatum quidem est in hoc Articulo. Sed gravi de cau-
sa

ſa ſtatim additur diſtinctio inter Excommunicationem *Majorem & Minorem*. Illa (1) habetur pro *Pœnâ*, quæ tantum ad *forum Civile* pertineat. Scilicet cum quis *Communione Civili*, Bonisque inde & *Officiis omnibus* eò pertinentibus, unâ cum *Eccleſiæ Conſortio*, privatur. Et malè ad ſe traxerant Pontifices atque *Episcopi*, ut dicitur in *Epilogo*, ad *Art. VII. Abuf. A. Conf.* hoc *Pœnæ* genus, utut nihil attineret *Eccleſiæ Miniſtros*, de *Civilibus* ſtatueret. Hæc verò, quæ *Minor* eſt, (ll) conſiſtit in *denegatione Sacramenti*, & cujus vis *Communicationis* cum *Eccleſiâ*, donec vitam emendent. *I. Cor. V. 11. II. Joh. 10.* Et hæc poteſtate quoque *Episcopos* non modò in *Animadverſione Eccleſiaſtica* turpiter abuſos eſſe, ſed & defraudâſſe ceteros *Pastores*, plenius exponitur in *Appendice* ad hos *Articulos*, de *Poteſtate & Jurisdictione Episcoporum*. Quod ne & imposterum fiat, dicitur, (lll) cavendum eſſe. Ne ergò vel *Pastores* vel *Episcopi* hoc *jure ſuo abutantur*, obſerventur (1) *Gradus Admonitionis*, *Math. XVIII. 15.* (2) in *Peccatoribus Notoriis & Contumacibus*, & (3) non privato cujusque *Presbyteri auſu & autoritate*, ſed cum *conſenſu Eccleſiæ*, prout non modo ex *Num. XII. 14. 15. Matth. XVIII. 15. ſeqq. I. Cor. V. 5. II. Gal. V. 12. I. Tim. V. 20. II. Joh. 10.* de hoc *proceſſu* conſtat, ſed etiam *Ordinationibus Eccleſiaſticis* conſtitui ſolet. E quibus *CARPZOVIVS* ad h. l. citat *Conſt. Eccl. Electoralem in General-Articulis Art. X. & IX. f. 319. uſque ad 328.* Ubi tamen omnes *circumſtantiæ attendendæ*, & ſpes *ratihabitionis*, ſi *periculum in morâ* ſit. Vid. ſuprà *Art. VII. Præſidesque judiciorum iſtorum ſacrorum*, quæ loco *Eccleſiæ* ſunt, non proprio, ſed *Eccleſiæ nomine Episcopali jure* fruuntur, & ſententias *ferre ſe, recordentur*. Quæ præterea de his *obſervanda ſint*, qui *Anathemathe damnati*, in *Eccleſiis*

Protestantium, benè refert D. FECHT. Tr. Theol. de Excommunic. Ecclesiasticâ, Rostoch. 1712. Exempla quoque Excommunicatorum in Ecclesiis Lutheranis vid. in D. ITTIG. Hist. Synodor. Nat. à Ref. in Galliâ habitat. Lips. 1709. p. 223. seqq. Add. BOEHMER. Disp. de Stat. Excommunicator. Hal. 1727.

ART. X.

DE CONSECRATIONE ET VOCATIONE.

§. I.

SI Episcopi curarent Evangelium, (I) ipsis propter concordiam Ordinatio Ministrorum nostrorum concedi posset, sepositis larvis Antichristianis. Sed quia (II) sunt Principes Politici, nec officiis sacris funguntur, sed Ministros potius prosequuntur, Ecclesia his defraudanda non est. Ideoque (III) ipsi nos ordinare debemus Ministros, præcipuè cum ab Hæreticis, quales nos falsò putant, ordinatos jura ipsorum recipiant. Fatente quoque HIERONYMO de Ecclesiâ Alexandrinâ in Ep. ad Evagrium f. 150. *Alexandria à Marco usque ad Heraclam & Dionysium, Episcopos, Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu Episcoporum nominasse, quomodo si exercitus Imperatorem faciat.* Vid. supr. P. II. Art. IV. §. III. Quidni & nostris hoc liceat Ecclesiis. Sive ordinati sint, sive nondum ordinati, qui Episcopatu funguntur, à Catholicis. Omnia enim in hoc ritu nituntur Jure Humano & arbitrario. Nec Presbyteris denegandum est Jure Divino, quod licet Episcopis. De Ordinatis verò ab Hæreticis Abb. SARNELLI Epist. Eccles. P. I. Ep. 28. *Quæst. Segli ordinati dagli Eretici, scismatici, scomunicati, simoniaci, siano validamente, come illecitamente, ordinati?* pro parte

parte affirmante, quam sequitur, citat ALESIIUM, BONAVENTURAM, INNOCENTIVM Papam III. Card. HOSTIENSEM, PANORMITANVM. De quibus nos in Princip. Theol. Rev. Cap. XX. §. I. Not. (12) LOMBARDVS L. IV. Sent. Dist. XXV. tit. *de Ordinatis ab Hæreticis: Solet quæri, si Hæretici ab Ecclesiâ præcisi & damnati possint tradere sacros ordines: & si ab eis ordinati redeuntes ad Ecclesiæ unitatem debeant reordinari.* Hanc questionem perplexam ac plenè insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Ipse ideò trahitur in diversa. At clara sunt verba AVGVSTINI & GREGORII, quæ adducit ibid. lit. B. Ille enim: *Sicut habent in Baptismo, quod per eos dari possit, sic in ordinatione jus dandi. Utrumque quidem ad perniciem suam, - sed aliud est, prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere.* Nempè contr. Epist. Parmeniani L. II. c. XIII. Hic verò: *Quod dicitis, ut, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculosum est. Ut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari.*

ART. XI.

DE CONJVGIO SACERDOTVM.

§. I.

Q Uia (I) Pontificii non fuerunt præditi eâ potestate, ut sexum facerent vel mutarent, sexum quoque haud separare, conjugiumque fictâ onerare castitate, sine notâ Anti-Christianismi, vitiisque ansam dare non potuerunt. Neque nos (II) probamus *frivolum ipsorum cœlibatum*, utpote doctrinam Dæmoniorum, I. Tim. IV. 13. Plura de Conjugio Sacerdotum differuntur in Aug. Conf. & Apol. Abus. II.

ART. XII.
DE ECCLESIA,

§. I.

NEque nos (I) *adversariis Ecclesiam* concedimus, neque ipsos propterea audire possumus. Nam (II) pueri septem annorum sciunt, Ecclesiam esse *Sanctam* fidelium Communionem, non in tunicis similibusque signis Externis, sed *Verbo Dei & verâ Fide* consistentem. Pluribus hoc deducitur in A. Conf. & Apol. Art. VII. & VIII.

ART. XIII.

DE IUSTIFICATIONE CORAM DEO ET
BONIS OPERIBVS.

§. I.

FAtetur hîc statim Lutherus, se ab eâ sententiâ, quam hactenus propugnauerit, quæque longè serie in Aug. Conf. & Apol. Art. IV. diducitur, in hoc capite discedere non posse. Quæ est, (I) nos *per Fidem*, ut Petrus ait, Act. XV. 9. corde novo ac puro donari. Quod fit in Regeneratione. (II) *Propter Christum* nos pro justis à Deo haberi; quod fit per Justificationem, Rom. III. 24. Tametsi peccatum in carne nondum penitus sublatum sit, quod nobis non imputat, Rom. VII. 18. 25. (III) Fidem hanc, & quæ per eandem fit, Renovationem, quæ aliàs dicitur Regeneratio, ac Remissionem peccatorum *sequi Bona Opera*. Et quicquid in his defectibus obnoxium est, pro peccato propter Christum non haberi. Quoniam Deus vult hominem non secundum personam & opera, sed ex merâ gratiâ sanctum & justum. (IV) *Nullam* inde in *Meritibus Operum nostrorum gloriam* consistere, sed in solo
Do-

Domino, I. Cor. I. 31. Ubi tamen opera non sequuntur, falsa est fides & erronea. Scilicet post Justificationem. Videmus hinc plura ad Justificationem requiri, quàm putat Fr. Laur. SVRIVS, aut LVTHERO imputat. Sic enim iste in Comm. Rer. Gestar. p. m. 386. *Lutherus Justificationis suæ fundamentum esse voluit Relationem, quæ est minimum Entitatis, hoc est, nihilum. Osiander verò prorsus è diametro cum illo pugnans, fundamenti loco posuit ipsam divinam essentiam. Lutherus autem non reverà, sed tantum imputativè justos nos coràm Deo haberi, dicit, perinde ut olim Alexander M. apud Lacedæmones his verbis in Deos relatus est: Alexander vult esse Deus. Deus esto. Ut temerè in Conventu Smalcaldico tum cum Luthero litigare cœpit Osiander, ita temeritate eâdem litem illam exagitat SVRIVS. Constans in sententiâ Lutherus, mentem hoc loco satis exponit. Confert h. l. cum A. Conf. & Apol. HOFFMANN. Comment. ad Libb. Symbolic. Artic. IV. §. XVIII. p. 94. sq.*

ART. XIV.

DE VOTIS MONASTICIS.

§. I.

VOta Monastica, tanquam (I) contrà ipsum Primum Articulum Principalem, qui suprà Part. II. erat de Officio Christi, pugnancia, planè tollenda. Sunt enim, de quibus Christus Matth. XXIV. 23. 24. *Ego sum Christus, &c.* vel, ut ibi: *Hic est Christus.* Et qui credit, se reliquis Christianis per *Vitam Monasticam prestare*, & sibi pariter atque aliis suis operibus ad *consequendam salutem* prodesse, Christum abnegat. Quin Blasphemia est, Vota Monastica cum THOMA Baptismo æquare. Iste enim, II. 2. Qu.

189. Art. 3. Resp. 3. *Rationabiliter autem dici potest, quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur Remissionem omnium peccatorum. Scilicet, ut per Eleemosynas. Et ib. Legitur in Vitis Patrum, quod eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Sic & vocatur hæc blasphemia, in Apol. ad Art. VI. Abus. Quæ, cum suprâ modum fit, vitæ Monasticæ laudatio, vel ipsis Monachis displicuerit, ut ipsa A. Conf. Abus. VI. Emolliri enim non potest. Add. THOM. L. IV. Dist. IV. Qu. 3. a. 3.*

ART. XV.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS.

§. I.

QUæ Papistæ (l) de *Traditionibus Humanis*, quod mereantur *Remissionem Peccatorum* & Salutem, docent, damnanda sunt, & Anti-Christiana, Matth. XV. 9. Tit. I. 14. (ll) Cum dicunt, sine *Peccato Mortali* eas violari non posse, itidem falluntur.

CONCLUSIO.

§. I. Additur itaque hîc Conclusio Universalis, quod de Articulis jam memoratis nihil possit concedi. Quisquis verò cedere velit, eum suâ niti Conscientiâ. Præterea nec Præstigias Papales, ac planè pueriles, de Templorum Dedicacionibus, Baptismo Campanarum, Consecratione Altarium, Cereorum, ac Palmarum, &c. ferri posse, quæ in ludibrium Baptismi cedunt. Sed Deo committenda talia esse, donec qui iisdem dediti adhuc sunt, ipsi erubescant, ac fatigentur. Dictum est de his ideò in

Brevi

Brevi Declaratione, Corp. Doctr. Jul. cap. ultimo. Add. GERHARD. L. de Bapt. c. VII. Sect. I. §. 160. de Baptism. Campanar. Maximilianus I. & Status Imperii jam ante A. 1522. Norimbergæ de hoc & similibus ritibus conquesti, in *Centum Gravaminibus*. Atque olim inter *Capitularia* Caroli Magni de eodem extabat prohibitio, ne *Clocas* scilicet baptizarent. Non *Cloacas*, ut Italus aliquandò, qui vocem non intelligebat, & legem istam vindicare volebat.

DE SVBSCRIPTIONE.

Subscriptio facta est à Theologis Doctoribus illorum præcipue Principum, qui Smalcaldiaæ congregati erant. De causâ, nos supra in Prolegom. §. II. Recensuit hos & descripsit CARPZOVIVS in *Isagog.* p. 892. sqq. Qui & de cautelâ MELANCHTHONIS, *ibid.* p. 894. Hic enim: Ich Phlippus Melanchthon halte diese obgestalte Artikel für recht und Christlich/ vom Bapst aber halte ich/ so er das Evangelium wollte zu lassen/ daß ihm/ um Friedens und gemeiner Einigkeit willen derjenigen Christen/ so auch unter ihm sind/ und künfftig seyn möchten/ sein Superiorität über die Bischöffe/ die er sonst hat/ jure humano, auch von uns zugelassen sey. *Conditio hæc PHILIPPVM*, æquè, ut plures, *si admitteret Pontifex Evangelium*, deceptit. Unde in Appendice eam ipse destruit, quâ Papatum oppugnat. In Subscriptione autem pro more, & ut placeret Galliaæ Regi, de quo supr. P. II. Art. IV. §. I. meticulousus fuit, & dubius. Quod Theologum tantum non decebat. Quod de *Jure Humano* dicit, id jam ante concesserat quidem B. LUTHERVS Part. II. Art. IV. de Papatu, §. III. At nec prodesse ullo modo Ecclesiaæ, nec unquam fore absque everfione totius Papatus, simul indicaverat.

E

verat.

verat. Et sic quoque idem Libr. de Captiv. Babyl. *Cum negassem, Papatum esse Juris Divini, admisi esse Humani Juris.* Sed & hoc ibid. revocaverat propter abusum. *Ut audivi & legi subtilissimas subtilitates istorum tropulorum, quibus suum idolum fabrè statuunt, scio nunc & certus sum, Papatum esse Babylonis.* Rejici igitur poterat formula subscriptionis. Sed indulgendum aliquid erat Melanchthoni. Add. quoque Notam ad h. l. O! *quantum mutatus ab illo, &c.* in Opp. Germ. Jen. T. VI. f. 557. de Ann. 1557.

APPENDIX

AD

ARTICVLOS SMALCALDICOS

§. I.

Appendix geminam partem continet, (I) de *Papa* in specie, & (II) de *Episcoporum Jurisdictione* in genere. Diciturque à doctis viris, h. e. Theologis, Smalcaldiaë congregatis, conscripta, etiamsi autorem habeat unum Philippum MELANCHTHONEM, qui illam in vernaculâ nostrâ, ut LUTHERVS ipsos Articulos, scripsit, ut in Prolegomenis notavimus, eodem A. 1537. Quæ & sequ. 1538. simul cum his Articulis, nec in omnibus tamen Exemplaribus, typis prodiit. Videtur autem interpretatio eorum, quæ de Papæ Potestate subscriptioni suæ addiderat, ut paulò ante vidimus. Docta utique ac necessaria, cum maximè in litem ventura esset. Unde similis ei in libris Symbolicis haud reperitur, licet jam à LUTHERO suprâ P. II. Art. IV. de *Papatu* actum esset, & in A. Conf. ejusque Apol. Art. VII. Abus. de *Potestate Episcoporum*. Ipse PHILIPPVS ad CAMERARIVM L. IV. Ep. 196. *Hæc scripsi mediocriter & exhibui.*

§. II.

§. II. De *Papa* tres proponuntur Articuli, quibus se *Vicarium Dei* esse, prodidit. (1) Cum jactitat se jure Divino esse *Caput* omnium ministrorum, totiusque Christianismi. (2) Se eodem Jure Divino habere *utrumque gladium*, nempe in Principes & Regna, &c. (3) Hoc sub *Aeternae Salutis jacturâ* credendum esse. Sed Articuli isti à nostratibus falsi, Deo adversi, Tyrannici, & Ecclesiæ Christianæ perniciosissimi esse, judicantur.

§. III. Ideoque *refutatur* (I) Articulus, de *Pontificis Episcopatu Oecumenico*, & jure ferendi Leges Articulis Fidei æquales, prout prætendit, (1) è *Scripturis*, Luc. XXII. 25. Matth. XVIII. 2. 3. 4. Joh. XX. 21. Gal. II. 11. 6. 9. I. Cor. III. 21. (2) ex *Historiis*, & quidem (α) è Decreto Concilii Niceni, ut Episcopus Alexandrinus curaret Ecclesias Orientales, Romanus Suburbanas, hoc est, ad Romam urbem pertinentes. Id quod igitur Jus Humanum arguit, non Divinum. Canon VI. est, *περ τῶν ἐξαιρέτων τιμῶν, αἱ πρὸς τὰς μείζονας κυβερνώσιν ἐπισκόπως ἐκκλησιαστικῶς ἐκανονίσθησαν. De præcipuis honoribus, qui majoribus Episcopis gubernantibus ab Ecclesiis decreti sunt.* Canon ipse: *Τὰ ἀρχαῖα ἔθνη κρατεῖτω, τὰ ἐν Ἀιγύπτῳ, καὶ Λιβύαις καὶ πενταπόλει, ὡς τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῶ ἐν Ρώμῃ ἐπισκόπῳ τὸτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ παρεσβεία σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, κ. τ. λ.* *Antiquus mos servetur, qui in Ægypto, Libyâ, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus omnium potestatem habeat, siquidem & hoc Romæ urbis Episcopo consuetum est. Similiter autem & per Antiochiam, aliasque provincias, presbyteria servantur Ecclesiis.* Quicquid ergò juris hîc servatur Ecclesiis, ut de eo ipsæ constituent, non opus est ad Jus Divinum referre, imò nec oportet. Quæ ad hunc Canone

nem disputentur, citat D. WALCHIVS ad h.l. (2) Ex eodem Concilio, ut quæque Ecclesia faciat, & suum habeat Episcopum, ut fatetur quoque S. CYPRIANVS & AVGVSTINVS. Concil. NICENI Canon IV. est, *Episcopum oportet maximè ab omnibus Episcopis, qui in provinciâ sunt, constitui, &c.* CYPRIANI verba adducuntur ex Ep. IV. ad Cornelium: *De Traditione Divinâ & Apostolicâ observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique convenient, & Episcopus deligatur plebe præsentè.* AVGVSTINI verò locus, qui non nominatur, ad rem faciens, extat in Brevic. Colat. cum Donatist. c. V. *Cum aliud habeat Ecclesiæ Catholicae consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent, sicut nec Romanae Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo, Ostiensis Episcopus.* Igitur nec Ordinatio, nec Confirmatio omnium Episcoporum à solo Romano quondam quæsitæ. (3) *Ab Impossibilitate* ob latitudinem Regni Christi. (4) *Ab Exemplis Conciliorum* indictorum, e. gr. Niceni, ubi Episcopus Romanus non fuit Supremus. De quo D. DANNHAVER. in Syncrifi Conc. Nic. & Tridentin. Arg. 1666. (5) *E Testimoniis* HIERONYMI & GREGORII Magni. Illius Class. VII. Epist. 101. hujus, L. VIII. Ep. 30. ad Patriarch. Alexandrin. & in Registris. (6) *Ab Exemplis Episcoporum* Romanorum, qui ab Imperatoribus positi. Vid. D. VEDELIVS de Episcopat. Constant. M. Delph. 1661. (7) *Vindicantur* Matth. XVI. 15. Joh. XXI. 17. ex Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 21. sqq. ex ORIGENE, AMBROSIO, CYPRIANO, HILARIO, BEDA, qui non de solo Petro, sed omnibus Apostolis, hosque in profitendo

do Christo excipientibus, Christi promissionem exponunt.

§. IV. Articulus (II) de *Utroque Gladio*, ad quem præcipuè spectari poterit Disp. JANI, de Dominatu Pontificio in Reges & Principes, post Reformationem diminuto, Witt. 1717. refutatur (1) inde, quod *Christus* discipulis suis tribuat *Spiritualem Potestatem*, scilicet, prædicandi Evangelii, remittendi Peccata & administrandi Sacramenta, v. gr. Matth. XXVIII. 19. XVIII. 36. Joh. XX. 21. Quibus respondent (2) Joh. XVIII. 36. 2. Cor. V. 11. I. 24. I. Petr. V. 3. 2. Par. X. 4. Malaque hinc (3) *Constitutio BONIFACII VIII.* Et c. *Omnes* Dist. 22. & similes ejus generis, quibus adstruere audent, Papam jure Divino omnium esse Dominum. Illa reperitur in Extrav. Commun. L. I. tit. VIII. c. I. satisque nota est, ab initio suo, *Unam Sanctam: Igitur Ecclesiæ unius & unicæ unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi vicarius Petrus, Petrique successor*, (quot ergò inde capita nascuntur, quasi Christus nobiscum in terris non sit?) *dicente Domino ipsi Petro, pasce oves meas, inquit, & generaliter, non singulariter has vel illas. - In hac ejusque potestate, duos esse gladios, spiritalem videlicet, & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce duo gladii hîc, in Ecclesiâ scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. - Spiritalis homo judicat omnia, ipse à nemine judicatur. - Porro subesse Rom. Pontifici, omni humane creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omninò esse de necessitate salutis.* Sed hanc sanctionem omnium maximam & gravissimam atrocissimæ discordiæ inter BONIFACIUM, & PHILIPPUM, Galliæ Regem, causam fuisse, non dissimulat P. RUBEUS, Monach. Bened. in *Historiâ* huj. Pontif. ed. Rom. 1651. cap. XVI. Flammis

quoque absumtam in Galliâ fuisse, idem testatur cap. XVlll. p. 194. donec CLEMENS V. Extr. Comm. L. V. tit. Vll. c. 2. Meruit. Nullum eâ præjudicium fieri Regi & Regno Galliæ, ediceret. *Nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati, amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quam antea existebant.* - Tàm quantum ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas superius nominatos. Quantum ad Canonem, Omnes. NICOLAUS II. Papa, scribit ad Mediolanenses Dist. XXll. paulò ante citatâ, cap. Omnes. *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatum Cathedræ vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia. Illam verò solus ille fundavit, & suprâ petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni simul & cælestis imperii jura commisit.* - *Qui autem Ecclesiæ privilegium ab ipso summo Ecclesiarum omnium capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in heresim labitur.* Imprimis exploditur Vicariatus Imperii, quem sibi Papa tribuit in Clementin. L. II. Tit. XI. cap. 2. *Nos tàm ex superioritate, quam ad Imperium, non est dubium, nos habere, quàm ex potestate, in quâ (vacante Imperio) Imperatori succedimus; & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium nobis, licet immeritis, in personâ beati Petri concessit, sententiam & processus omnes prædictos, & quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio declaramus, fuisse ac esse omninò irritos & inanes, nullumque debere aut debuisse sortiri effectum.*

§. V. Articulus (III) de Necessitate hæc omnia Credendi, inde refellitur, quia multi Pontifices varias Idololatrias contrâ Evangelium introduxerunt, unde Anathemate feriendi Gal. I. 8. nec audiendi saltem, Act. V. 29. Ut Canonistæ: *Papæ Heretico non deberi Obedientiam.* Quin ipso

ipso jure esse excommunicatum, XXIII. q. 1. *Acacius*. seqq. XL. dist. *Si Papa* Conf. MARSILIUS aliique, contra Paulum V. in causâ Venetorum. Ipse HADRIANUS VI. qui deinceps dictus, Pontifex, cum in L. VI. Sent. Lombardi commentaretur, ita scribit de Confirm. Art. III. sub fin. *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam per suam determinationem aut decretalem asserendo, plures enim fuerunt Pontifices Romani heretici.* Licet igitur de Jure Divino esset, ut Pontifex erat V. Testamenti, nulla tamen ei obedientia ob hanc causam præstanda foret. Paulus depinxit potius II. Thess. II. 3. & quisque facile videt, Papam Dominatum ut Tyrannum occupâsse, & docere quæ adversa sunt Evangelio, varia, de Missâ, Pœnitentiâ, Votis, &c. Deum quoque se nominare, mutare doctrinam Christi, & de Vitâ Æternâ dispensare, qui ne quidem ab Ecclesiâ vult judicari. Imò de judicio Papæ ne quidem disputari ab illâ debere. Decret. C. XVII. q. IV. *Si quis suadente.* Imprimis, quæ hîc citantur, C. IX. q. III. *Nemo.* *Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo iudex judicabitur.* Ut INNOCENTIUS, Papa ipse. Cujus quidem verba Glossa ad h. l. restringit; *Nisi se alicujus judicio submittat, ut C. II. q. 7. Nos si. & in causa hæresis XL. d. Si Papa. & cum submittit se confessori suo, &c.* Sed cum factò Papæ contrarium testentur, meritò hinc seperantur cordati, ut Matth. VII. 15. & II. Cor. VI. 14. jubentur quilibet, & præcipuè his inhibere debent Principes Ps. II. 10. & Concilia declinanda sunt, quamdiu Papa Ecclesiæ judicium contemnit.

§. VI. De Potestate & Jurisdictione Episcoporum provocatur rectè h. l. ad Apologiam Aug. Confessionis, Abus. VII. quod (I) omnes æquè acceperint à Deo Potestatem

statem ab Evangelio, ut præsent Ecclesiis, Evangelium prædicent, Peccata remittant, & Sacramenta administrent, item, quæ ipsorum est Jurisdictio, ut Peccata remittant & retineant. Ita HIERONYMUS è Tit. I. 5. (2) *Jure tantum Humano* unum reliquis præfici, non Divino, docet Ep. ad Evagr. supr. ad Art. X. & P. ll. Art. IV. §. 3. (3) Ubi Episcopi persequuntur Evangelium, *Ecclesia retinet potestatem* constituendi Ministros, juxta Eph. IV. II. Matth. XVIII. 20. I. Petr. II. 9. Et proinde exercendi eadem in casu necessitatis, quæ sunt ministrorum. Wie denn in der Noth auch ein schlechter Zeie einen andern absolviren und sein Pfarrherr werden kan. Wie S. Augustinus eine Historie schreibt / daß zween Christen in einem Schiffe beyammen gewesen / da einer den andern getaufft / und und darnach von ihm absolviret worden. Extat ea historia in Epist. AUGUSTINI ad Fortunatum, unde recensetur in Decret. P. III. de Consecr. Dist. IV. c. Sanctum. *Cum illa historia narratur, omnes, qui audiunt, ad lacrymas moventur. Cum in navi quâdam nullus fidelis esset, præter unum pœnitentem, naufragium cœpit imminere. Erat ibi quidam non immemor suæ salutis, & Sacramenti vehementissimus flagitator: nec erat ibi aliquis, qui dare posset, nisi pœnitens ille. Acceperat enim, sed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiserat sanctitatem, sed non amiserat Sacramentum. Nam si hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur post pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo, quod acceperat, et ne periculose finiret vitam non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret: & factum est. Et sic naufragium evaserunt.* (4) Quæ secundum DIONYSIUM & CLEMENTEM Ordinationi, quâ quondam à plebe electi ab Episcopo ejus loci, vel vicino, & per impositionem manuum confirmati, accesserunt, Cere-

remo-

remonia sunt. Recentior enim liber DIONYSII est, scilicet, quem LUTHERUS putat, ille, de *Cælesti Hierarchiâ*, quem DIONYSIUS AREOPAGITA reliquisse dicitur. Nam bene de eo CAV. Hist. Lit. *An Dionysius scripti quidquam post se reliquerit, quicquid dicant alii, non satis constat.* Agitata est inter ipsos Pontificios de eo haud pridem controversia, quæ ante mota ab ERASMO, DALLÆO, SIRMONDO, DIONYSIUM illum ad Seculum IV. vel V. rejicientibus, inter TILLEMONTIUM, DUPIN, aliosque, ex unâ, & inter COZZAM ex alterâ partè. Hujus ideò vid. Vindicias, & Diss. de Dionys. Areopag. Paris. 1702. Et Anonym. Diss. pro his edit. Par. 1702. Add. Act. Er. 1703. p. 401. seqq. A. 1704. p. 168. seqq. Per CLEMENTEM verò intelligit Autorem, qui fingitur, Cononum & Constitutionum Apostolicarum. Illi antiquitate quidem suâ constant, sed autorem habent CLEMENTE posteriorem. Hæ verò ne quidem primam antiquitatem redolent, & Pontificiis ipsis suspectæ sunt. Conf. Diss. de Antiquitate Canon. Apostolicorum, qua DALLÆI & BEVEREGGI Sententiæ inter se comparantur, M. JANI, Witt. 1706. (5) Quicquid ergò juris usurpârunt Episcopi quoad Excommunicationem, de quâ supr. ad Artic. IX. ipsis propter Abusum quoque adimi iterùm, & in Parochos transferri potest. Sed & (6) Matrimonialia, & similia, ad forum Ecclesiasticum spectantia, habent de Jure Humano, eoque recentiori; ut patet ex Codice & Novellis Justiniani. Siquidem de ejusmodi rebus in his tractatum à Magistratu Civili. Cujus proinde est, justitiam Ecclesiæ vindicare, non Episcoporum, qui fecerunt illicitas ordinationes, & quæ Conscientiam turbant; ut sunt de Conjugio inter Compatriinos, Divortio, Matrimoniis occultis, Cœlibatu Sacerdotum, & similia. Hinc & Beneficia ipsorum, quæ

dantur propter officia, rectius quàm ante, in usum Ecclesiæ impendere.

§. VII. Huic *Appendici non subscripsit LUTHERUS.* Subscripsit autem MELANCHTHON, etiamsi ipse autor, non nominatus, manu, ut ait propriâ; forte ideò, quod bilem movisset Luthero, cum in subscriptione ad Articulos ipsos hæsitavit, nec simplici & categoricâ sententiâ subscripsit, sed cum conditione. Quamquam conditio inanis esset, nec magnæ spei aut pretii. Unde multorum odia quoque idem incurrit, de quibus D. KAHLERVS ad Art. Smalc. Diss. XVII. §. VII. Melius fecisset, si moderationem aut metum in aliud tempus fervâsset, ut paulò ante sub fin. Artic. XV. monuimus. Nec omnes quoque qui Articulis ipsis nomen dederunt, hoc loco iterùm comparent. Dictum enim in illis satis erat, & Appendix magis ad declarationem Philippi de Papatu, ut ostendunt formulæ subscriptionum, ad hunc potissimùm directæ, quàm Articulorum videtur conscripta, quâ simul doctrinam suam ille ostendere voluit. Cum tamen vera sint, quæ continet, Articulis ipsis subjungitur, & simul in Libris Symbolicis nostris retinetur. Ut verò notabilis erat ad Articulos subscriptio MELANCHTHONIS, sic adhuc notabilior, sed & melior illa BRENTII est, ad Appendixem, quam totam ideò adjicere convenit, utpote quâ totus liber clauditur, & scopus ejus illustratur. *Legi, inquit ille, & iterum relegi Confessionem Augustanam, & Apologiam ab Illustrissimo Principe Electore Saxonie & aliis Principibus ac Statibus Romani Imperii Casarea Majestati Augustæ oblatam. Legi item Formulam Concordiæ, in re Sacramentariâ Wittenbergæ cum D. Bucero & aliis institutam. Legi etiam Articulos, à D. Martino Luthero,*
Pro-

Præceptore nostro observandissimo, in Smalcaldensi Conventu Germanicâ Linguâ conscriptos, & libellum de Papatu & de Potestate ac Jurisdictione Episcoporum. Ac pro mediocritate meâ judico, hæc omnia convenire cum Sacrà Scripturâ, & cum sententiâ veræ & vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ. Quamquam autem in tanto numero Doctissimorum virorum, qui nunc Smalcaldie conuenerunt, minimum omnium me agnoscam, tamen quia mihi non licet exitum hujus Conuentus expectare, obsecro te, clarissime vir, D. Johannes Bugenbachi, Pater in Christo observande, ut humanitas tua, nomen meum, si opus fuerit, omnibus illis, qua supra commemoravi, adscribat. Me enim ita sentire, confiteri, & perpetuò docturum esse, per Jesum Christum Dominum nostrum, hoc meo chirographo testor. Actum Smalcaldie d. 23. Febr. A. 1537.

Johannes Brentius Ecclesiastes
Hallensis.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly a signature or stamp.



22

VIRO CLARISSIMO
J. H. SCHVMACHERO

RESPONDENTI SVO DOCTISSIMO

S. P. D.

JON. CONRAD. SCHRAMMIVS

TH. D. ET PROF. ORD.

Quinque menses abierunt, Vir Dilecte, quod salutata Academiâ nostrâ, altero statim die, qui erat XIX. Januarii, me convenisti, mibi que primò propositum tuum, de deserenda Religione Pontificiâ, aperuisti. Equidem idè miratus sum, & impedimenta illa tibi objeci, quæ, ut haud levis esse momenti facile concedebas, ita eadem te ad revertendum facilitate commovere potuissent. Patriâ non solum, atque è familiâ & amicis cum Abrahamo Genes. XII. 1. egrediendum erat in alienas terras, sed & bonis omnibus, & officiis, & quicquid præterea ad honestam sustentationem tuam alioqui fecisset, te spectare, ipsisque hostibus exponere, exutum. Quin & quod præcipuum est, quod ob virtutem & doctrinam tuam his, qui te in sinu suo gesserant hæctenus ac foverant, adèd visus sis acceptus, ut haud vulgaria inde sperare apud eosdem potuisses. Veruntamen horum omnium & similium jactura te non magis à desiderio tuo abstinere poterant, quàm si Vita Monastica aliàs eligenda ab te fuisset. Maluisti igitur istam sortem tuam, damnumque cum veritate & animæ salute commutare, quàm pro superstitione quâdam vel errore in discrimen offerre. Id unum saltem præter Conscientiæ Tranquillitatem tibi cura fuit, ut si nihil amplius posses, bonæ famæ testimonium à Collegii Rectore, quod à societate Jesu nuncupatur, tecum quasi Tyri spolia auferres, & obrectantibus opponeres. Jam verò, quid superest? quàm ut gratiam Dei & honorum omnium auxilium tibi apprecer, qui in Academiâ studiorum continuandorum gratiâ commorari cupis. Atulisti ad eam, si Linguarum Sacrarum excipiam periti-

am,

am, illum à Philosophiâ & literis humanioribus apparatus, quo carent multi, cum ad Theologiam accedunt, & qui proinde te ad hanc discendam è fundamento, è reddere possunt aptiorem. Nec propterea vis ingratus pristinis tuis videri præceptoribus, quod te in scholis suis literariis etiam ad Magistri usque gradum evexerint, sed solidiora tantum apud nos his fundamentis imponere, & quæ tibi hinc subministrata sunt arma, ad augendam divinam veritatem, nullo facto amoris in eos, qui merentur, detrimento, convertere. Age ergò, & quæ cum laude tibi acquisiveris, cur enim nec in hoste laudemus virtutem, specimine publico, quo respondentis vicem præbes, ostende. Methodum disputandi quantum calleas, simul probare, & quàm benè materiam ipsam per spectum habeas, docere poteris. Nec tamen te profecisse tantum putes, ut te ipsum porro juvare queas. Si rudis esses literarum, vel alio vita generi adæuetus, aliâ indigeres instructione. Sed jam Theologum ipse agere cupis, qui post hæc multos ad veram erudiat justitiam. Itaque discas primum, ante quàm doceas alios, Sirac. XII. 19. Discas, & ad populum verba facere vernacula, juxta regulas artis oratoricæ, & ut status rerum nostrarum exposcit, & ad eruditos quoque eodem sermone, quo uti competit, differere. Non hoc certè verget in dedecus gregis à te relictis; sed emolumentum. Opto, ut animas ita multas, ut quondam Abraham advena, lucreris. Opto quoque, ut ad id rectè præstandum tibi adhuc paululum temporis, & expensarum, quantum satis est, suppetat. Habes exemplum civis tui, Summi Reverendi apud nos Præsulis, nostrique Collegæ Rempenii, habes & plura, quæ sequaris. Ita non tueri solum vera, sed & describere poteris, atque ipse docere. Quod autem reliqua attinet, memor esto illius, quo consolatur Optimus Servator discipulos suos, Matth. XIX. 29. Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Scribebam Helmstadii, d. XII. Junii, Anno MDCCXXXVI.



ca. 32

EO.-Bj. 2002

01 A 6727

ULB Halle

3

003 104 745



WA

Rha





rùm de Honoribus & Invocatione Sanctorum nos plura
in Disput. de Idolo laudabili, quâ Deorum Martyrumque
Cultus, hujusque Vitia, inter se conferuntur, Helmstadii
Anno 1707.

CONCLUSIO APOLOGIÆ PAR-
TIS PRIORIS.

§. I.

Concluditur Articulus XXI. addito ad Partem Priorem
eodem ferè modo, ut in Aug. Confessione, *Epilogo*,
factoque ad Partem Alteram, de Abusibus, *Transitu*. Re-
tutatur enim mala Fides Adversariorum, in Confutatione
Aug. Confessionis adhibita, quâ gravissimos Errores &
Abusus immanes, multis seculis ante Lutherum à multis
viris cordatis in libris Scholasticorum & Canonistarum
reprehensos, & Imperatori præcipuè scitu necessa-
rios, ne quidem attigerint, quin veriore de Pœni-
tentiâ & Christo doctrinam omninò reticuerint, sine quâ
tamen neque Ecclesia neque Respublica, consistere potest.
Sique Confutatio simpliciter à se recipienda fuisset, tot
nævos quoque in doctrinâ & moribus, publicè quanquam
damnatos, à se recipi debuisset.

Imperatorem qui pro offi-
re pulso Papatu, Conco-
nem re-



ad 32

ARTICVLOS
SMALCALDICOS

QVAM

JVVANTE DEO

IN ACADEMIA JULIA

MODERANTE

JONA CONR. SCHRAMMIO

THEOL. D. ET PROF. ORD.

TVEBITVR

JOANN. HENRICVS SCHVMACHER

